

malo est alienus, mali adeoque osor & vindex, ut *ignis inflammatus omnes improbos circumquaque consumens*: Thren. II. 3. & *ardens usque ad Orcum inferiorem*; Deut. XXXII. 22. id est, ad plenam & perpetuam destructionem. Est enim *Dei justitia perpetua justitia, & Lex Dei est veritas*. Psal. CXIX. 142. Ne ergo Justus Deus per impunitatem peccati justitiam suam abnegare videretur & super hominem peccatorem ira ipsius sine fine maneret, *Joh. III. 36. Aestum suum incumbere voluit super Filium suum hominis peccatoris sponforem, cunctisque procellis eum affligi, poni in fovea profundissima, in tenebris, in abyssis, includi ut non exiret, obrui à Dei ira, poni in abominationem, profligari per consternationes Dei, similem illis fieri, quorum Deus non amplius recordatur, & qui à manu Ipsius excisi sunt Psal, LXXXVIII. 4. &c.* In similitudine itaque carnis peccati hic noster Goel venit, quia voluntatem Dei Patris exequi voluit, sub legem datus, ut omne jus & postulatum Legis, per vitæ innocentiam & diræ mortis sævitiam impleret, nomen Sanctitatis & Justitiæ divinæ coram hominibus manifestaret, *Joh. XVII. 6. Dominum adeoque Jehovam exaltaret in Judicio & Sanctum Deum sanctificaret per Justitiam, Esaj. V. 16. & per passiones consummatus autor æternæ salutis fieret omnibus Ei auscultantibus. Hebr. V. 9. 4. Incomparabilis charitatis & misericordiæ, per crucem & mortem Filii clarissimè de-* *d. Charitas.*
claratæ: Cujus excellentiam & magnitudinem Christus Ipse tum ex eminentia diligentis, tum ex indignitate dilecti, tum ex pretio & præmio dilectionis, cum perpenderet, admirabundus exclamavit Joh. III. 16. Ita Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et ex phrasologia divi Johannis I. Ep. Cap. IV. 16. *qui profitetur Patrem misisse Filium, ut Servator sit mundi, profitetur etiam, Deum esse charitatem, & talem quidem quæ σύνδεσμος, complexus quidam est omnium divinarum virtutum & perfectionum: Est enim hic charitas æterna, Eph. I. 4. Gratiōsa, Joh. IV. 9. Ephes. II. 3. Sapiens & omni notitiâ supereminētor, Eph. III. 19. demonstratione incomparabilis, Joh. III. 16. duratione constans & irrevocabilis, in seculum perennans Jer. XXXI. 3. Psal. CXVII. 2. virtute insuperabilis, nullæ enim aquæ eam extinguunt, Cant. VIII. 7. nullæ insidiæ & machinæ sive mortis sive vitæ prosternunt, Rom. VIII. 38. Stupenda cum primis & æterna celebratione dignissima, quia est dilectio Dei, qui sine aliena ope est Elschaddai*